SVB REVERENDO PATRE. IOANNE ECKIO PROCANCELLARIO STVDII INGOLSTADIENSIS, AC PROTHONOTArio Apoſtolico, Canonico Eyſtetenſi, venerabilis & eruditus ſacræ Theologiæ Baccalaureus formatus, M. Georgius Stenglin, Auguſtanus, Cancionator Friſingenſis, infraſcriptas poſitiones tuebitur, INGOLSTADII 7 Die Nouembris Anno Do. 1 5 3 3.

AN hominem à Deo in ſtatu innocentiæ creatum, & per inobedientiam lapſum, ac multis miſeriis adfectum, congruum fuerit, per diuini verbi incarnationem, atq; adeò paſsionem, & mortem eius, redimi, & ad priſtinam, vel maiorem gratiam; reparari?

Queſtio hæc ſubneris propoſitionibus explicetur.

I. Cunctis tam viſibilibus q̄ inuiſibilibus, diuinæ bonitatis ſuperabunduntia adeſſe ex nihilo deductis, homo tandem (ceu vtriuſq; creaturæ vinculum) ad imaginem & ſimilitudinem dei: creatus eſt.
Genc. 1.

II. Corpus vero, ex craſſa terræ materia Deus efformauit, animam autem, propria inſufflatione, elargitus eſt.

III. Non ita tamen, vt anima prius, corpus vero poſterius plaſmatum ſit, cũ anima creetur, & creando infundatur, diuo Auguſtino docente, contra errorem Origeni impoſitum.

IIII. Factus eſt itaq; homo purus, prauitate carens, virtute decorus, deniq; vtraq; parte, mirifice largo diuinæ gratiæ chariſmate adornatus, ſed voluntate liber.

Eccle. 15. V. Quamobrem mandatũ accepit, mors & vita ante illũ appoſita ſunt, quo daretur ei, quodcumq; vellet, aut vitam, aut mortis perniciem eligeret.

Roma. 5. VI. Porrò vbi Deo deſerto, auſcultauit ſerpenti ſubdolo, non modo in mortis fauces præceps corruit, verum etiam carnis contra ſpiritum rebellionem, recteq; operandi moleſtiam incurrit.

Roma. 5.
Ephe. 2. VII. Neq; ſibi ipſi, hoc vulneris inflixit, ſed toti quoq; poſteritati, adeò equidem, vt nec paruuli immunes eſſe queant, contra Pelagium.

VIII Chriſtum tamen omnis innocentiæ, atq; iuſtitiæ auguſtiſsimum autorem huiuſce mali exortem, ſacra ſcriptura deſignat.

IX Ob huius quoq; honorem, ſancta Eccleſia, deiperam virginem Mariam ab omni labe criminis tam parentalis q̄ actualis præſeruatam fuiſſe & pie credit, & intrepide docet.

X Verum genus humanum tot malis circundatum nec ſuapte virtute, ſe ab illis eximere valens, à nemine, niſi Dei filio meditatore, ſanari ac redimi potuit, quemadmodum parabolico ſermone, Lucæ decimo, inſinuauit.

Gal. 4. XI. Proinde Deus pater, hunc plenitudinis tempore miſit factũ ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, & adoptionem filiorũ dei reciperemus.

Pſal. 17. XII. Et IESVS dei filius verus, & conſubſtantialis, coelos inclinauit, & deſcendit, atq; quo noſtram inobedientiam ſanaret, factus eſt homo verus, contra Valentinum & Manicheum.

Eſa. 53. XIII.
1. Pet. 2. Confitentes ergo IESVM Chriſtum perfectum deum & perfectum hominem, aſſerimus eundem omnia habere, quæcumq; pater habet, præter ignaſcentiam, & omnia quocumq; Adam primus, ſola excepta peccandi facultate.

XIIII. Dum ergo per omnia fratribus aſsimilatus eſt, proculdubio verum paſsionis dolorem ſenſit, quare Albanenſium & Saracenorum, perfida aſſertio iuſte exploditur.

Iohã. 1. XV. Et Chriſti caro, quanto fuit purior, vtpote non ex ſanguinibus neq; voluntate carnis, aut viri genita, tanto acerbiores tulit dolores, vnde ob doloris immenſam acerbitatem exclamabat, O vos omnes qui tranſitis per viam: attendite &c.
Threno. 1.

XVI Ad hæc vt ſic duplici vulneri, duplex reſponderet antidothum, totuſq; homo saluus fieret: nõ ſolum corpus Chriſti, ſed & ſacratiſsima eius anima patiebatur, Triſtis (inquiens) eſt anima mea, vſq; ad mortem.
Matth. 26.

XVII Atqui humanitatem Chriſti, adeò adſtruimus paſſam, vt eius diuinitas, impaſsibilis, & ab omni paſsionis moleſtia, libera, ac aliena permanſerit.

XVIII. Vſq; adeò ergo in Chriſto IESV ſumus conuiuificati, atq; adeò ſufficienter redẽpti, vt humanæ dignitatis cõditio auctior & copioſior, multo ſit facta, q̄ vnq̃ fuiſſet, ſi protoplaſtes non peccaſſet.

5
A. 1533.